



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Naturalis ratio attractionis magnetis. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

dictus, quasi magnus, mutata litera vna, vel interlisa. Sideritum alio nomine appellat à ferro, *σίδηρος* apud Græcos vocatâ. Dicitur & à Latinis magnes, herachus, & siderites. Helychius sideritem lapidē alium facit ab heraculo: nam alteri colorē ferreum, alteri a genere tum tradit. Plinius quinque eius genera ex Soraco demonstrat. Æthiopicum; Magnesiacū ē Magnesia Macedonia: cōtermina, Boebeida lacum petētibus dextra; tertium in Echii Bœotia, quartum circa Alexandriam Troadem; quintum in Magnesia Asia. Differentia prima, mas sit, an fœmina: proxima in colore: nam qui in Macedonia, & Magnesia reperiuntur rufi, nigriq; sunt. Boetius verò rufi coloris plus habet, quā nigri. Is, qui in Troade inuenitur, niger est, & fœminei sexus, ideoq; sine viribus. Deterrimus autem in Magnesia Asia, candidus, neq; attrahens ferrū, similisq; punici. Compertum tātō meliorem esse, quantō sunt magis cærulei. Æthiopico laus summa datur, pondusq; argento repeditur. Inuenitur hic in Æthiopia Zimiri, ita vocatur regio arenosa. Æthiopicum argumentum est, quod magnetē alium ad se trahit. Alium rursus in eadē Æthiopia nō procul mons gignit lapidē Theamedē, qui ferrū omne abigit, respuitq;. Diocorides ita depingit. Magnes optimus est, qui ferrū facile trahit, colore ad cæruleum vergēte, densus, nec admodum grauis. Pisarenensis tria genera facit, vnū trahēs ferrum, alterum catnem, alterum alliciens & respuens ferrum. Satis ineruditē, nam carneus ab hoc diuersus, & vnus, idemq; allicit, & abigit à se ferrū. Marbodeus apud Trogloditas, & Indos nasci dixit. Olaus Magnus sub Septentrione montes esse, ac tantæ vis attrahendi, vt naues igneis clavis affixas habeāt, ne per magnetinos scopulos pertranseunt, è ligno ferrei clauis trahantur. Inter Cossicam, & Italiam insula Illua est, vulgo *Elba*, in qua magnes inciditur, sed effœtæ virtutis. Reperitur in Cantabria Hispania, & Boemia, & alijs quamplurimis locis.

Naturalis ratio attractionis magnetis. CAP. II.

QVIA non desunt, qui de ratione attractionis ferri à magnete integros libros descripserint, ne præter in-

ter institutum longiores simus, aliorum sententias adducendo, præserim quum non nisi verbis, & vanis captiunculis innitantur, vt non videantur à Philolophis admitti, prætereundas sanè duximus, nostram adducemus, ex quibusdam experimentis ortam, non omittemus tamen Anaxagoræ opinionem ab Aristotele adductam libro de anima, qui per similitudinem quandam animatum lapidem vocat, & ob id ferrum attrahere, & ob alias peculiare vires, quæ propriè ab anima proficisci dicerentur, vt videbimus. Epicurus eius effectus causam reddere conatur, Galeno. & Lucretio referentibus. Inquiunt enim Atomi, qui à ferro defluunt, & à magnete figura inter se conueniunt, ita vt facile se amplectentur, hi ergo quum in vtraque lapidis, ferrique concreta impingunt, deinde in medium resiliunt, obiter inter se conuertuntur, ac ferrum vnà trahunt. Galenus contra hæc inuehitur, haud credere posse, inquit, corpuscula, quæ à lapide resiliunt, cum alijs similibus ferri corpusculis complicari, & complexum tam grauem substantiam trahere. Præterea si pendenti ferro aliud admoueris, etiam quocq; hætere, & huic aliud, & sic tertio, & quarto, & atomi, qui à lapide fluunt, vbi ferro occurrant, resiliunt, & in causa sunt, vt ferrum pendeat, nec possibile esse atomos per ferrum ingressos per vacuos meatus resilire ad priores, & alios amplectari, quum ipse viderit quinque ferreos stylos, continenter sibi appensos. Et si per directum ferri diffunduntur atomi, cur quæ lateribus appendimus etiam hæreant, quippe vndique vis illa diffunditur, vnde si exiguus magnes multa exigua corpuscula ferri tangit, atque hæc alia, & illa itidem alia, & omnia ea corpuscula implere debet, ferè digeretur exiguus lapillus, & in defluuia soluitur. Sed mihi magnes vide, ut mixtura quædam lapidis, & ferri, quasi ferreus lapis, aut ferrum lapideum. Sed ne puteris velim lapidem adeo in ferrum mutatū, vt suam naturam amiserit, nec ferrum adeo lapidi immersum, quin suū esse tueatur, immo dum alter alterū superare nititur, ex pugna ferri attractio euenit. Est in mole illa plus lapidis, quam ferri, ideo ferū ne à lapide suppediteat

ferri vires, & consortium exoptat, vt quod solus non potest, alterius auxilio præstet. Omne enim creatum suum esse tuetur. Vnde vt amico fruatur auxilio, & ne sua perfectione destituatur, non inuito ferrum ad se rapit, vel vltro se ad ferrum confert. Magnes lapides non trahit, quia eis nõ indiget, quum satis sit lapidis in mole sua, & si magnes magnetem trahit, non trahit ob lapidem, sed ob ferrum lapidi inclusum. Quæ diximus his argumentis innituntur. Magnetis fodinæ sunt, vbi & ferri venæ, hæc ex Galeno, & metallicis describuntur, & in vtriusq; confinijs lapidis & ferri nascuntur, & magnetes visuntur, in quibus plus lapidis, & in alijs plus ferri. In Germania lapis magnes eruitur, ex quo optimum ferrum elicitur, & magnes dum in ferri scobe excubat, vegetiores vires nanciscitur, & oblitus, vel neglectus eas amittit. Vidimus plerunq; non sine magna animi nostri voluptate magnetem accensis carbonibus tumulatum, caruleam flammam, sulphuream, & ferream eructare, qua dissipata simul cum abeuntis animæ qualitate trahendi beneficium amisisse. Putor ferri, & sulphuris, vt qui ferrum in calcem reducunt, destruunt, vel alijs chymisticis operationibus vacant, facile experiuntur. Eandemque animam alteri inditam, eandem consequi facultatem necessarium iudicauit.

Magnetem duci habere oppositos polos, borealem, & australem, & quomodo dignosci possint. CAP. III.

QVIA magnetis effectus varijs, & multiplices sunt, ab eius effectibus distinctionem exordiemur, vt lectores plus documentis, & emolumentis recipiant. Magnetis effectus vel solius lapidis sunt, vel ferri à magne- te affricati, vel vtriusque lapidis & ferri. Lapidis simplices effectus sunt, lapidem trahere, cœli vertices ostendere, & similia; sunt & misti, compositiq;. Dicemus igitur primo lapidi inesse duo puncta, ex opposito constituta, tam magnæ, quam minimæ parti, quæ vocamus polos, quorum vnum ad Boream, alterum ad Austrum dirigitur, videlicet si liber lapis relinquatur pendulus, sine sui ponderis impedimento, quod vltro ad Septentrionem